



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici  
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,  
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

19. Aspiciens in cælum benedixit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

quam illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte etate vount, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt & reliquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alij vount domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus. Magnum votum vount. Alius vount relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum. Magnum votum vount. Quisque quod vounte voluerit, vounteat. Illud attendat, ut quod vounte reddat: quia scriptum est, Vouete & reddite Deo vestro. Hæc ille, & multò illuc plura. Idem denique voti semel facti vinculum vrget, & premit, in lib. de adulterinis coniugiis, lib. 1. cap. 24. Solet Calvinus D. Augustinum fidelissimum antiquitatis interpretem meritò vocare. Expostulent ergo contra illum, imò coatra totam antiquitatem Calvinistæ, quibus authore Caluino vota monastica cum manifesta impietate coniuncta videntur.

### 19. Aspiciens in cœlum benedixit.

**B**enedictio hoc loco, ait Calvinus, ut alibi s̄a pe pro gratia actione capit. Sed eadem historia apud Lucam posita hanc expositionem manifesti erroris conuincit, nisi forte ipsis panibus ac piscibus gratias egisse Christum dicere vellit Calvinus. Nam in Luca sic legitimus. Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cœlum, & benedixit illis. *Luc. 9.* fregit. Manifestè dicitur quod Christus ipsis panibus & piscibus benedixit, id est, bene precatus fuerit, aspiciens in cœlum, ut potestatem hanc benedicendi & per benedictionem multiplicandi à cœlo se accipere profiteretur. Porro idem Calvinus in capite 19. Matth. ad illa verba, Oblati sunt ei parvuli ut imponeret eis manus, ait Christum oblatos sibi parvulos solenni benedictionis ritu Deo Patri consecrass̄. Beza in hūc Matth. locum benedictionem quoque interpretatur gratiarum actionem, quia Matth. 15. & Ioan. 6. in simili miraculo ponitur vox *sux regnos*, gratias egit, non autem, *svlyor*, benedixit. Ceterum *Luc. 9.* ubi nō solum repetitur verbum *svlyor*, benedixit, sed additur relatum *wrse*, illis, id est, panibus, in hunc modum cauillatur. Non dubium est (inquit) quin *svlyor* hoc loco significet rō *sux regnos*: id est, gratias agere. Quia Beza in tamen additur relatum *wrse*, & nimis absurdum fuerit cogitare Christum egisse panibus gratias, aut precatum esse panes ac pisces, emollienda est hec interpretatio. Dicunt ergo panibus benedixisse, id est, de his panibus ac piscibus gratias egisse Deo Patri, & simul eum precatus ut tantilla panum ac piscin copia

tantam multitudinem pascere. Denique ut totum hoc conuiuum ad Dei gloriam referretur. Hæc Beza contra apertam veritatem Euangelicam pertinaciter contendens, & contra stimulū frustra calcitrās. Hæc enim expositio sensum literę prorsus euerit. Nam de panibus gratias agere Deo, non est ipsis panibus benedicere, sed Deo. At Lucas dixit, quod ipsis panibus benedi-

*Beza glof-  
fa literam  
destruit.* xerit Christus. Deinde precari Deum pro multiplicatione panum, est rursus actio ad Dei relata, non ad panes. At Lucas dicit, ipsis panibus benedixisse Christū, ut benedictionis actio ad panes ipsos referatur. Denique ut totum conuiuū ad Dei gloriā referatur, finis certè benedictionis esse potuit, sed non ipsa benedictionē, quæ ad ipsos panes referebatur, si vera narrat Lucas. Postremò si quum in aliis Scripturis legimus, Benedi-

*Gen. 1.*

*Gen. 22.*

*Gen. 17.*

*Gen. 26.*

*Gen. 35.*

*Exod. 23.*

*Scriptura  
textū au-  
dacter cor-  
rumpunt  
heretici.*

*Ioan. 6.*

xixit auibus & piscibus & hominibus, dicens, Crescite & multiplicamini; & ad Abraham, Benedic tibi, & magnificabo nomen tuum, &c. & rursus de Sara, Benedic ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes; & denique ad Isaac, Benedic tibi, & multiplicabo semen tuum, &c. & postremò de Iacob. Benedixit ei, dicens, Cresce & multiplican, sed & toti veteri populo, Benedic panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatē de medio tui, in his multis que aliis similibus locis nemini dubium est benedictiones Dei ad ipsas creaturas relatas, & aliquid in illis operatas fuisse: quæ hoc loco hereticorū tergiuersatio est, benedictionis actionē in Christo à creaturis tanto miraculo multiplicatis remouere, & in

solam gratiarum actionem convertere? Sed impudentes heretici clamant semper & postulant scriptum verbum & literā contextum: ipsum tamen verbum & contextum audacissime pervertunt. Alioqui cur non aduertunt Christum ut homines gratias Patri egisse, ut Deum vero benedixisse, & benedicendo panes multiplicasse? Sanè dum ita pertinaciter contendit Christi benedictionem nihil fuisse quam gratiarum actions, id obiter agunt, ut diuina sua actione & operatione propria, qua panes benedicendo multiplicauit, Christum spolient: quem sibi adiutū patescere gaudebunt in sinu noui hodie Ariani. Tota autem hæc eorum pertinax contentio inde nascitur, ne in diuina Eucharistia, ad cuius doctrinam Christus hac panum multiplicatione viam sternebat (quam ob causam idē miraculum præter morem suum Ioannes reperit, ut sermonē quem Christus de carne sua manducanda proximè habuit, ante hoc miraculum proximè præcessisse ostenderet) benedictionem Christi adipsa elementa panis ac vini referri vi-

dean

deantur: de quo infra cap. 26. plura dicimus.

28. Domine, si tu es, iube me ad te venire.

**Q**uum Petri fidem hoc loco omnes interpretes laudent & admirentur, ipsaque res gesta & Christi approbatio proclamat, sed & singularem Petri prærogatiuam supra cæteros Apostolos, quod solus super aquas ambulans ad Christum peruenit, veteres Patres obseruent, S. Chrysost. hom. 57. Petri fides & Bernard. lib. 2. de considerat. ad Eugenium: vnuis Caluinus, defenditur. qui cum aliis hodie hæreticis omnia Petri præclara facta & dicta vel traducere vel extenuare conatur, incredulitatem in eo & temeritatem arguit. Incredulitatem arguit, quia postquam Christus dixerat, Ego sum, Petrus tamen dubius & perplexus dicat. Si tu es, Sed illam vocem non dubitantis fuisse, verum maximè credeuntis & confidentis, illud adiunctum manifestè ostendit, Iube me ad te venire super aquas. Nulla enim fortior esse fides potuit, quam iubente Christo, quis se committere ut super eas ambulet. Nec ullus opinor hodie hæreticus qui solam fidem semper venditat, à Christo iustus hoc facere, idem tentare veller. Quare illud, Si tu es, idem significare potest, quod, quia tu es, ut saepe alibi in Scripturis. Infra cap. 19. Si ita est causa hominis, id est, quia sic se res habet in matrimonio ut dicas: Si tamen iustum est, id est, quia iustum est: 2. Thes. 1. Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, id est, quia vel quod passibilis erat Christus, &c. Deinde si propriè accipiat, non tamen dubitantis animum, sed maioris habenda certitudinis affectum demonstrat: ut illud beatissimæ virginis, Quomodo mihi fiet istud? ad quæ verba ipse Caluinus Luc. 1. ita scribit. Sciendum est non ita dubitare vel sciscitari ut sensibus suis Dei potentiam vel subijcere vel æquare velit, tantum à seipso res subita admiratione perculta ad mouēdam hanc questionem rapitur. Hæc ille. Eodem in Petri verbis candore vti oportuit. Videns enim tam inusitatum spectaculum, Christum super aquas ambulare, dicendo, Si tu es, non ita dubitauit ut sensibus suis Dei potentia qua homo super aquas ambularet, vel subijceret vel æquaret: tantu subira illa admiratione perculsus (erant enim omnes turbati, & præ timore clamauerunt, existimantes phantasma esse) ad experimentum istius præsentiae Christi petendū rapitur: ut ex eis sanè fortior ac firmior in fide, non ut præ aliis magis dubitans. Quare impiè subiuxit Caluinus. In fide tam exigua & debili erumpit parvū considerati voti ardor, Iube me venire super aquas. Christus enim hoc

F 5